

Q.K.
402
1'
DISSERTATIO HISTORICA

DE

ORIGINIBUS

ET

INCREMENTIS

VETVSTISSIMÆ GENTIS SVEVICÆ

ad præsentem usque statum,

Quam

DEO ADJUVANTE,

In Inclÿta Argentoratensium

Academia,

P R Æ S I D E

DN. JOH. CHRISTOPHORO
ARTOPOEO,

Eloquentiæ Prof. Publ. Ordinario,

SOLENNI Eruditorum Examine

subjicit

GVSTAVVS Herrenschmidt / Vlmensis,
A. & R.

Die V. Decembris Ann. M DC XCII.

H. L. Q. S.

Argentor. Typis JOH. WILHELMI TIDEMANNI

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



II n
4437

ILLVSTR I
SCHENCKBECHERIANI
LEGATI DISTRIBUTORVM
COLLEGIO:

VIRIS

MAGNIFICIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, PLVRI-
MVM REVERENDO, EXPERIENTISSIMO,
PRÆCLARISSIMIS, NEC NON PRV-
DENTISSIMIS,

DOMINIS SVIS GRATIO-
SIS, PATRONIS, MOECENATI-
BVS ET EVERGETIS

*omni honoris & observantiae
cultus suspiciendis,*

Hasce pagellas in grati animi
fignum

*Humillime offert, consecrat
& dedicat*

GVSTAVVS Herrenschmide/
A. & R.



ΣΥΝ ΘΕΩ.

§. I.

Postquam de Suevis, amplissima inter Germanos gente conscribere quædam constitui, atque in Disputationis Academicæ formam redigere, ratio instituti mei requirit, ut primo de *Origine*; secundo de *Antiquis sedibus* atque *instituti*; tertio de *Mutationibus*, quæ circa gentem istam contigerunt, observata temporum serie agam. Quo in negotio priscorum seculorum ruditas, cum vetera nostrorum acta à nemine conscriberentur, aut tamen per Romanos, tunc hostes, vel fabulosos monachos consignarentur, non parum impedimenti nobis injiciet. Malui tamen conari quantum possum, quam in patriæ meæ & gentis ignoratione omnimoda versari, quo nomine, si non semper assecutus veritatem fuero, veniam à benevolo Lectore promptam paratamque mihi polliceor.

II. Primum itaque nationis Suevicæ conditorem Suevum esse, ex Annii Viterbiensis Beroso statuunt *Martinus Crusius*, *Joh. Nauclerus*, *Joh. Aventinus*, *Beatus Rhenanus* & alii, eundemq; Octavum Tuisconum Regem fuisse scribunt, filium Gambrivii, Anno mundi 2278. atque Imperii annos illi concedunt 46. Nomen verò Schwab habere ferunt à Schwaben vel Schweifen/ quod ille regiones regni sui diligenter obiens bonis legibus, ac disciplina temperaverit. Sed verò *Philippus Cluverius* multique alii malunt à Suevo fluvio, qui hodie est Viadrus sive Odera, gentis nomen deducere: *Ptolomæus* enim Semnones, Suevorum nobilissimos, ultra Albim orientem usque ad Sue-

vum fluvium coluisse docet. Attamen probabilius est, cum flumen, tum id, quo alluitur is tractus mare, Suevicum à gente sequioribus temporibus appellatum esse, quam gentem à fluvio: quandoquidem gentem tam amplam, quæ exigua sui parte id flumen olim accoluit, universam inde denominatam esse, vix quisquam asseruerit. Malo igitur Etymologiam prædictam approbare, ut à Schweiffen / non quidem Rex aliquis, aut gentis auctor, sed ipse populus, die Schweiffen à cæteris Germanis dicti sint, quam vocem Romani suo more inflectentes, Suevos nominavere. Hoc enim etymon cum re ipsa accuratè convenit. Quia enim Suevi pascua mutare, immetatos agros habere, vicinas regiones incurrere, latè vastitatem circa se facere, centena millia quotannis in militiam mittere sunt soliti, uti mox è Cæsare ac Tacito demonstrabimus, rectè à vaga ista vivendi ratione, die Schweiffen sunt appellati. Sicut Arabum quædam nationes, propter eundem morem per pascua vagandi, à Græcis Nomades, & mox à Romanis Numidæ dicti sunt. Ad discriminationem verò Suevorum cæteri Germani qui stabiles sedes habuerunt, partim Ingevones, partim Istevones sunt appellati, cum Suevi ipsi Hermiones, i. e. Hermänner) vocarentur; quod discrimen Tacitus ex ipsa Germanorum relatione, statim à principio libelli sui indicat, quamvis denominationis rationem ignoret, quam ex ingenio suo probabiliter commentus est. Unde post fabulator Annius Viterbiensis desumpsit, inque Berosum suum transtulit.

III. Cæterum Suevos indigenam esse Germaniæ populum non abnuerim. Non eo sensu, quo se Athenienses *αὐτόχθονας* esse quondam jactaverunt, i. e. ex ipsa illa terra, quam incolabant, enatos, quo nomine Diogenes false hos irrisit, dicens, quod cum fungis hoc commune haberent: Sed sensu isto, quo primi cujusque terræ coloni eorumque posterii indigenæ; qui verò postea superveniunt, advenæ vocari solent, quales in Germania fuere Saxones, Gothi, Myfi, Lusatii &c. Quin igitur inter posteros Gomeri fuerint Suevi, qui migratione prima, post divisionem terrarum has in sedes commigrarint, nullis antea populis habitatas, vix est dubitabile: Certè non constat de alijs prioribus, nisi quibus illac iter fuit, ad ulteriora progredi volen-

volentibus. Quod de Germanis in universum his verbis Tacitus asserit: *Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus, & hospitibus mixtos, nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant. Quis vetò præter periculum horridi, & ignoti maris Asia aut Africa relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi patria sit.* Quæ Taciti rationes, etsi de Suevis nostris non negamus indigenas esse, per se tamen invalidæ sunt; cum multæ sint causæ, quibus impelli gentes possint, ut sedes mutant, meliores deterioribus, uti suo loco videbimus, qui vero qualesque populi Germanorum vagandi morem habuerint, ac proinde Suevorum communi appellatione censi sint, cum centum habitasse pagis à Cæsare dicantur, (quanquam Tacitus solos Semnones Suevorum nobilissimos centum pagis habitasse, cæteris non connumeratis, dicat) è quibus singulis quotannis millenos militatū miserint, non constat, totidem verò nominib. distinctam gentem fuisse probabile est. Tacitus hæc sola recenset: Semnones, Longobardos, Burgundiones, Marcomannos, Quados, Nariscos, Reudingos, Aviones, Eudoses, Suardones, Nuithones, &c. qui omnes populi quomodo in unam civitatem, unamque rempublicam convenirent, nunc disquirendum est.

IV. Videtur autem Germanicas Celticasque gentes pleræque eâ usas forma Reipubl. quæ Democratia proxima per Magistratus & Judices à se lectos constituta esset, sic, ut pagi singuli suos haberent ejusmodi Magistratus, qui controversias minuerent singulorum, quoties verò alia incideret causa, quæ ad gentem pertineret universam, convenirent simul omnes certo loco, ac de republica quid factu opus esset, constituerent. Ita cum Rhenum Cæsar apud Ubiōs transire vellet, hæc ab Ubiis cognovit: Suevos postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo concilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent; liberos, uxores suaque omnia in sylvas deponerent; atque omnes qui arma ferre possent, unum in locum convenirent: hunc esse delectum medium ferè regionum earum, quas Suevi obtinerent: hic Romanorum adventum expectare, atque ibi decertare constituisse. Ita fiebat, cum gens tota comitia celebraret. Alioqui, teste Tacito, in iisdem conciliis eligebantur & Principes, qui jura per pagos & vicos redderent



centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt. Hoc est, ait Lipsius in nota ad h. l. quod in lege Alemannorum prisca lego. Conventus autem secundum consuetudinem aliquam fiat, in omni centena coram comite aut suo misso, & coram centenario quum placitum fiat. Eandem Reipublicæ formam plerisque aliis Germaniæ populis fuisse iidem authores passim ostendunt: nisi quod alicubi etiam regnatum est. quod ipsum paulo post Cæsaris tempora Suevorum etiam parti accidit, qui Maroboduum Regem nacti libertatem pristinam amiserunt, sponte suâ, an oppressi ab illo, non satis ex Vellejo discimus. Ipsum verò finitimis quoque suis servitutis jugum intentare voluisse idem satis clarè docet l. 2. Hermunduri & Marcomanni, & Narisci sunt cum Quadis, quos à Suevorum reliquo corpore Maroboduus avulsit, quæ prima, quantum è Scriptoribus cognitum est, Suevorum Reipublicæ mutatio fuit, quæ de gentis potentia multum detraxit: nunquam enim postea cum cæteris Suevorum gentibus amplius coaluere.

V. Antequam verò de reliquis, quæ genti huic acciderunt, mutationibus aliqua dicamus, de Suevorum moribus antiquis ex Cæsare ac Tacito, quæ præcipua sunt afferemus. Cæsar l. 4. c. 1. Suevorum, ait, gens est longè maxima, & bellicosissima Germanorum omnium. ÿ centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causa, suis ex finibus educunt, reliqui domi remanent: pro se atque illis colunt. hi rursus invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura ratio, neque usus belli intermittitur: sed privati ac separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere in uno loco, incolendi causa, licet. neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus. quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine efficit, atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus, præter pelles, habeant quidquam, quarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta; & laventur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus, eo magis ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant; quam quo nullam rem ad se importari desiderent. quin etiam jumentis, quibus maximè Gallia delectatur, quæque impenso parat precio, Germani importatis

non

non utuntur; sed quæ sunt apud eos nata prava atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris efficiunt. equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur; equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt; ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt. neque eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur, quam ephippiis uti, itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci adire audent. vinum ad se importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari arbitrantur. publicè maximam esse laudem putant, quam latissimè à suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse: itaque una ex parte à Suevis circiter millia passuum DC. agri vacare dicuntur. Hæc porro Tacitus habet, quæ partim cum cæteris Germanis Suevis sunt communia, partim his propria, lib. de mor. Germ. ubi de universa Suevorum natione loquitur, *Majorem, inquit, Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. sic Suevi à cæteris Germanis, sic Suevorum ingenui, à servis separantur.*

VI. Sacra & religionem Suevorum veterum quod attinet, eadem fuit quæ Germanis omnibus, descripta summatim à Cæsare Comm. 6. c. 21. *Deorum, inquit, numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt, quanquam Tacitus penitus cognovisse Germanorum mores visus, cum reliquis Germanis tum Suevis imprimis, certos quosdam Deos, Græcis etiam cognitos tribuit, quos inter communiter ait Hertham, i. e. Terram, (Græcis Ceres est vel Pluto; Gallis Dis pater) matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eodem loco de Semnonum stato festo, quo hominis sacrificio in luco auguriis Patrum & prisca formidine sacro litatur, commemorat. Longobardis, qui & ipsi Suevi erant, alioquin Wodan Deum, quem Mercurium interpretantur, fuisse cultum, Paulus Diaconus refert. Pleraque alia morum, cultus, institutorum sacrorumque cum cæteris Germaniæ populis, prisca Suevi commune habere. Cæterum Germani ipsi huic genti, prærogativam fortitudinis ultro concessere, cum apud Cæsarem l. 4. de bello Gall. c. 7. *Uhpetes ac Tenchteri unis se Suevis concedere fateantur, quibus ne dit-*
quidem*

quidem immortales pares esse possint. omitto, quibus elogiis passim hanc gentem Strabo l. 4. Plutarchus in vita Cæsaris. Florus l. 4. & alii insignire sint soliti. Suevos haud dubie intellexit Horatius Oda 24. l. 3. carminum, vivendi morem horum cum Romanorum vitiis comparans. *Campestres, inquit, melius Scythæ vivunt & rigidi Geta, Immetata quibus jugera liberae Fruges & Cererem ferunt: Nec cultura placet longior annua: Defunctumque laboribus, Æquali recreat sorte vicarius. Illic matre carentibus Privignis mulier temperat innocens, Nec dotata regit virum Conjux, nec nitido fudit adultero. Dos est magna parentium virtus, & metuens alterius viri Certo foedere castitas: Et peccare nefas, aut precium est mori.* Quæ quidem Elogia pleraque ad omnes Germanos referuntur.

VII. Immutata quidem sunt Suevorum instituta pleraque, postquam, ut prædiximus, Reipubl. forma mutata est apud eos populos, qui adstrictiori imperio Regum sub Maroboduo & successoribus ejus sunt gubernati. Quæ mutatio accidit temporibus Cæsaris Augusti. Tunc enim credibile est, Bojos à Suevis Hermunduris, eorumque sociis Marcomannis expulsos, istorumque domicilia ab his occupata fuisse, qui deinceps fixas in Bojohemo sedes posuerint, evagandi licentia coërcita, præsertim cum Boji in provinciam Romanam transgressi, Romanis se subjecissent. Et Maroboduum quidem paulo post sub amicitiae specie in Italiam evocatum detinuit Tiberius, Regnique ejus successores, sibi obnoxios fecit. uti Vellejus docet l. 2. c. 108. his verbis: *Nihil erat jam in Germania quod vinci posset præter gentem Marcomannorum; quæ Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in inferiora refugiens, incinctos Hercinia silva campos incolebat. Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, NATIONE magis quam ratione, barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum, sed certum imperium, vimque regiam amplexus animo, statuit avocata procul à Romanis gente sua, eo progredi; ubi cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit. Corpus suum custoditum, imperium, perpetuis exercitiis, penè ad Romana disciplinae formam redactum, brevi in eminentem, & nostro quoque imperio timendum perduxit*

perduxit fastigium, gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacefferet, & si lacefferetur, superesse sibi vim, ac voluntatem resistendi declararet. Legati quos mittebat ad Caesares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque à nobis desciscantibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat emulum, exercitumque quem septuaginta millium peditum, quatuor equitum, fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi preparabat. Eratque etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad levam & in fronte; Pannoniam ad dextram; à tergo sedium suarum haberet Noricos; tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe cum à summis Alpium jugis, quæ finem Italiae terminant, initium ejus finium haud multo plus ducentis millibus passuum abesset. Et c. 129. de Tiberio loquens. Quam vi consiliorum suorum, ministro & adjutore usus Druso filio suo, Maroboduum inhaerentem occupati regni finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coegit egredi? quam illum & honorate, nec secure continet. Equibus Velleji verbis, cum novitate regni illius Marcomannici, quodque vi occupatum retentumque sit temporibus Augusti Tiberique, & qua ratione obnoxium Romanis factum sit, cognoscere possumus. Eadem & Tacitus Annal. II. c. 44. & seqq. commemorat, ubi & causam dissidii Suevorum inter se, & quare pars ista quæ cum Maroboduo faciebat, ad Romanorum auxilia confugerit, exponitur. Verba ista sunt: Suevi, prætendebantur, auxilium adversus Cheruscos orantes. Nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis assuetudine, & tum emulatione gloria, arma in se verterant. vis nationum, virtus ducum in aequo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares; Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum: Sed è regno etiam Marobodui Suevæ gentes Semnones ac Longobardi, defecere ad eum, quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus, cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset; non aliam ob causam, quam quia fratris filio juveni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incurfibus, aut disjectas per catervas: quippe longa adversus nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fuis utrinque

B

dextris

dextris cornibus. Sperabaturque rursus pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum percussit fuit: & transfugis paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset. Missus tamen Drusus, ut retulimus pacis firmator. E Strabone porro, cur invisus apud suos Suevos æquè ac cæteros Germanos Maroboduus fuerit, cognosci potest, qui l. 7. hæc habet. In hac Germaniæ parte est etiam Hercynius saltus, & gentes Suevorum: quorum alia ipsam incolunt sylvam, ut Colduli, in quibus est & Bojohemum, Marobodui regia. In quem locum cum alios quam plures transtulit, tum populares suos Marcomannos. Occupavit enim dominationem privatus, post reditum suum Roma: ubi juvenis vixerat, & beneficiis ab Augusto affectus fuerat: Reversus autem regnavit, & subiecit sibi, præter dictos, Luio (omnino scribendum Lygios, quæ præcipua Suevorum gens Tacito) magnam nationem Zumos, Butones (legerim Gutones) Mugilones, Gibinos, & inter ipsos Suevos, magnum populum Semmones. At verò qui Marobodui finis fuerit, Tacitus eodem libro Cap. 62. recenset. Erat, inquit, inter Gotones, nobilis juvenis nomine Catualda profugus olim vi Marobodui, & tunc dubiis rebus ejus ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam, castellumque juxta suum. veteres illic Suevorum prædæ, & nostris è provinciis lixæ, ac negotiatores reperti, quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremo oblivio patriæ suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit. Maroboduus undique deserto, non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. transgressus Danubium, qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus, aut supplex, sed ex memoria prioris fortune. nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Responsum à Cæsare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur, sed non excessit Italia, per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium, pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, & Vibilio duce; receptusque forum Julium Narbonensis Galliæ coloniam mittitur, Barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent,

barent, Danubium ultra inter flumina Marum & Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. Hinc discimus, unde illa Romanorum ac Hermundurorum amicitia fuerit orta, de qua Tacit. l. de Mor. Germanorum, c. 41. Propior Hermundurorum civitas fida Romanis, eoque solis Germanorum, non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhetiae provinciae colonia, passim & sine custode transeunt. & cum cæteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos, villasque pascimus, non concupiscentibus.

VIII. Sic Tiberius primo per Maroboduum Suevorum gentes, æmulatione accensas, inter se discordes reddidit, mox eundem Maroboduum, per Catvaldam, & Gothinos subvertit, hunc per Hermunduros, non inusitata magnorum principum arte, qui discordia vicinorum suam potentiam vel quaerunt vel stabiliunt. Nec dubito Hermunduros primam Suevorum gentem fuisse, quæ transito Danubio in Romana provincia confederit, eo ipso loco quo nunc Suevia est, sic tamen ut ripam Germanicam non desererent, quam ipsam etiam cum cæteris Suevorum nationibus usque ad Dacos Sarmatasque impleverunt. Ubi verò Romana potentia post Trajanum coepit imminui, Marcomanni Quadique, qui & ipsi Suevi erant, horumque socii Jazyges, in Romanam provinciam transgressi sunt, non amplius ut amici, sed hostilem in modum, ipsi etiam Italiae formidolosi, & aliquandiu quidem sub M. Antonino nonnullisque aliis Impp. repressi sunt: Superante verò tandem horum multitudine, tota illa provincia, in quam Boji ex Bojohemo profugi, jam ante sese sub Romana tutela receperant, à Suevicis his nationibus occupata Romano imperio subtracta est, Germaniæque in posterum connumerata: quam priores etiam Norici incolas, antequam sub Romanorum potestatem temporibus Augusti Cæsaris redigerentur, Germanos fuisse, *Cæsar in Comment.* dubitare nos non sinit, exceptis Rhætis, quos originis Italicae esse pro indubio habetur. Testatur id etiam *Horatius Oda 14. l. 4. Carm.* de Augusto sic canens: *Maxime Principum, Quem legis expertes Latina Vindelici didicere nuper, Quid Marte posses: milite nam tuo Drusus Genaunos implacidum genus, Brennosque veloces, & artes Alpibus impositas tremendis Dejecit acer plus vice simplici.*

IX. Hæc itaque prima est de qua ex authoribus constat, in Suevorum amplissima pridem gente, reipublicæ mutatio, qua Hermunduri, Marcomanni, Quadi, Narisci, Gothones, &c. à reliquo Suevicarum nationum corpore avulsi primo sub regium Marobodui imperium concessere, mox in Romanum solum transgressi sunt, factique Romanorum hostes perpetui, sub Antoninis, cæterisque qui secuti sunt imperatoribus, donec tandem prævaluerunt, totâque provinciâ Romanos expulerunt, imò ulterius progressi, Galliam Pannoniamque invaserunt, quin & in Italiam penetrarunt, usque ad Ravennam teste *Orosio*, l. 7. à quibusdam Scriptoribus Alani, per errorem vocati, cum Alemanni dicendi essent, quorum nomen ante ista tempora ignorabatur, utpote quos neque Cæsar neque Strabo, & ne Tacitus quidem nominat, quorumque *Flavius Vopiscus in vita Probi*, quantum mihi constat, primus fecit mentionem.

X. Dixi Alemannorum & populum novum & nomen esse, ex Suevorum potissimum nationibus coalitum. Cum enim primum Boji ex Bojohemo pulsî, ut supra diximus, in Bavariam sub Romanam ditionem se recepissent, Noricis Vindelicisque commixti, qui ipsi Suevicam originem habebant, lingua & natione Germani, Hermundurique initio ut amici, mox ut hostes, Marcomannis Quadisque popularibus suis juncti, in Romanam illam provinciam ingressi essent, expulsi Romanos, quos post diuturna bella denique exturbarunt; terra illa omnibus his populis (quibus etiam Rhæti in alpini se conjunxerunt) communis patria esse cœpit, & quasi publica, in qua habitandi, & quam colendi omnibus æquum jus erat. Traxit itaque regio hæc nomen à Germanica voce *Allmann/ das Allmann/ das jedermann barwen/ und bewohnen darff.* bellis enim per aliquot secula gestis, penè deserta reddita, colonos variarum gentium, qui tamen omnes è transdanubianis Suevorum gentibus immigrarunt, recepit: ac proinde *Allmanns Landt: Allmangia / & contractè Allgäu* nominata est; ut non sit probabile terram à populo *Allerleymann/ aut Allemänner/ sed populum à terra dem Allmann oder Allmendt/ apud exteros nomen accepisse, cum à se ipsis Suevi, pars etiam Boji, alii Vindelici &c. fuerint nominati: Neque hi duntaxat, qui in ripa Danubii*

Danubii dextra, sed & qui sinistram usque ad Moenum fluvium, & Cartos habitarunt, à se ipsis Suevi fuerunt appellati. Id quod inde licet cognoscere, quod neque hi qui in hunc usque diem in Germania habitant, Alemannos se nominant, sed vel Suevos, vel recentiori tempore inventis nominibus, Suitenses, Brisgojos, Alfatos, Wirtenbergenses, Palatinos se vocant: neque illi qui per Galliæ provinciam, facto itinere cum Gothis & Wandalis, in Hispaniam usque penetrarunt, ubi novum aliquod Suevorum regnum constitutum, per ducentos ferme annos, usque ad Vitizæ filiorum discordias duravit, unquam hoc nomine censi sunt.

XI. Interea cæteræ etiam Suevorum nationes, quæ Marobodui dominationi nunquam sese submiserant, & ipsæ nescio an sponte, an aliqua necessitate, sedes suas pleræque etiam mutarunt, Burgundiones in Sequanorum ac Heduorum terras qui veteris Galliæ populi erant, immigrarunt. Longobardi duce Alboino, primum in Panooniam, mox in Italiam transiverunt regno illic constituto, quod ducentis annis stetit, donec à Francis esset eversum: Rugii Heruliq; Odoacro duce in eandem Italiam paulo ante profecti, finem Romano imperio Occidentali priores fecerant, Augustulo superato & Roma capta, quos mox Gothi subverterunt. Soli Suiones & Æstii, qui trans mare Suevicum habitabant, sedes suas videntur tenuisse in hunc diem, nisi quod & horum pars terræ occupata à Gothis est, incertum quo tempore. Sed de prioribus, qui citra mare habitant, Suevorum nationibus, ac Danubium, Rhenumque ex utraque ripa accolunt, potissimum nobis institutum est dicere. Quanquam hi quoque populi non omnes hodie Suevorum nomine censi solent. Censebantur autem tunc cum nova Suevorum sive Alemannorum Reipublicæ mutatio esset facta. De qua mutatione in posterum nobis sermo futurus est.

XII. Erant post Gothos, à quibus Oriens atque Occidens pariter vastatus est, duæ potissimum Germanicæ nationes, quæ in Galliam assiduos incursus fecerunt. Ipsi nimirum Alemanni i. e. Suevi, qui transito Rheno in Germania prima & per Helvetios, nec non Sicambri, invento sibi novo nomine, Franci à se ipsis vocati, qui per eundem Rhenum ejusque ripam inferio-

rem in Germania secunda Gallias invadere satagebant. Et isti quidem post Burgundionum in Sequanos adventum, ab his prohibiti sunt, ne ulterius progredi possent: ante id temporis verò sub Juliano Apostata & mox Valentiniano I. variè cum his certatum est à Romanis, donec, uti prædiximus sub Honorii principatu Alemanni prævaluerunt, & per Helvetios Galliaëque provinciam factò itinere usque in Hispaniam penetraverunt. Franci autem cum diu circa Rheni trajectum, cum Romanis luctati essent, eadem tempestate nudatam præsidio ripam Gallicam sub Pharamundo rege suo, & mox sub Clodio, & Meroveo transiere, stabilesque in Gallia sedes posuere; qui tamen post Attilæ irruptionem, pace cum Romanis facta imò & cum Gothis communem hostem propulsare satagebant potius, quam inter se belligerari, donec hoc pulso & Romanis per Odoacrem in Italiam revocatis, soli Franci, Burgundiones & Gothi totam Galliam inter se partirentur, inter quos tamen Franci denique cæteris prævaluerunt, Burgundionibus prioribus, sub Clodovæo M, Gothis demum sub Carolo M. prorsus subjugatis. Sic aucti opibus ac potentia Franci suum imperium etiam in Germaniæ gentes transrhenanas latissime extenderunt, ita ut Saxones, Tyrigetas, Alemannos, imò Hunnos in Pannonia, Longobardos in Italia sub ditionem suam redigerent. atque ita Suevorum illæ nationes, quæ circa Danubium & Rhenum sedes habuerant, & hætenus liberæ & sui juris fuerant, tùm primum sub alienam, id est, Francorum ditionem redacti sunt, & per præfectos ab his impositos gubernatæ, quin imò temporibus Carolinis, cum nondum satis domiti viderentur Alemanni & ferocius agerent, quam pro obsequii jure debebant, Tassiloni Bojorum Duci adhærentes, qui rebellaverat Carolo, undecim illorum millia, in Aquitaniam trajecta sunt, ut & ipsi distraherentur à suis, & simul Aquitanos compescerent.

XIII. Sub hac verò Francorum dominatione, victi & victores pari jure sunt gavisi, neque libertati populorum aliquid decessit, nisi quod communem Dominum victi victoresq; haberent deinceps. Franci enim, ut ipsis Gallis Saxonibusque Leges suas & instituta reliquerunt; ita & Alemannis, sic ut hodieque

hodieq; in Imperio Romano-Germanico, alibi Saxonicum jus, locis aliis Alemannicū vigeat. Præterea qui à Francis præfecti victis gentibus dabantur, cum plerūq; hæreditariæ essent eorū præfecturæ, nisi quod Regi subessent, tanquam inter suos agebant, atque ita coalescebant cum gente quisque sua, ut ejusdem sanguinis, non Francici crederentur, prorsusque & Franci, & Saxones atque Alemanni, unam in gentem coalescerent, principalesque familiæ affinitatibus, consanguinitatibusque discrimen victoris & victi, servientis atque dominantis prorsus abolerent, & re ipsa eveniret, quod apud Curtium l. 10. c. 3. habuisse se in consilio Alexander commemorat: *Ipse, inquit, Oxathris filiam mecum in matrimonium junxi, non dedignatus è captiva liberos tollere, mox deinde, quum stirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi, proximisque amicorum auctor fui, ex captivis generandi liberos, ut hoc sacro fœdere omne discrimen victi victorisque excluderem. Proinde genitos vos esse mihi non ascitos milites credite. Asia atque Europa unum atque idem regnum est. Macedonum vobis armado. Inveteravi peregrinam novitatem, & cives mei estis & milites, omnia eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari, indecorum est. Eiusdem juris esse debent, qui sub eodem Rege victuri sunt.* Prorsus nimirum eodem modo, in Francorum gentem Alemanni, atque in Alemannorum Franci transiere, qui & jus Alemannicum receperunt, non hi illorum, quod in primis de Francis iis est verum, qui in Orientali, ut vocant, Francia, inter ipsos Alemannos sedes occupaverunt. Et Ludovicus quidem Pius, Francorum Rex & Imperator Romanus, Suevam conjugem habuit, & Sueva matre est creatus, cujus filius Ludovicus Bojariæ Rex; nepos verò Carolus Crassus, Rex Sueviæ, quam Franciæ maluit vocari, quod idem factitarunt præfecti illi omnes, quos Francorum Reges, victis à se gentibus primitus rectores imposuerunt, ut facti reguli, illius gentis mallent his ut suis popularibus imperare, quam alienigenis, seque gentium talium duces, quam præfectos Francicos appellare, libertatemque suæ quisque regioni quantamcunque potuerunt, asserere, id solum Francorum regibus obsequii fidei qua tribuentes, quod Dominis vasalli præstare solent, debentque. Sic gens Alemannorum Suevorumque non secus

ac aliæ sub Francorum regno, plenam libertatem, suaque jura cum exigua Reipublicæ mutatione ad hoc usque tempus continuaverunt.

XIV. Non sanè Suevis hæc qualiscunq; Reipublicæ mutatio pœnitenda fuit, Primum enim divina providentia, Francorum Regum hanc curam excitavit, (postquam initio Clodovæus M. voti sui per victoriam de Alemannis partam damnas factus, religionem suscepit Christianam atque à Remigio Rhenorum Episcopo cum tota sua gente baptizatus esset) ut gentes etiam cæteras ditioni suæ subjectas, ad Christianam fidem paulatim adducerent. Dagobertus imprimis restauravit Christianum cultum, quæque Ecclesiæ Barbarorum, id est, ipsorum Francorum atque Alemannorum, irruptionibus pridem vastatæ erant, non solum restituit per Gallias, & Germaniam primam, sed & trans Rhenum novas fundavit, circa annum Christi 630. Sequenti verò seculo, sub stirpe Regum Francorum secunda, Pipino & Carolo annitentibus, cum jam tota gens Alemánorū perdomita esset, tunc opera imprimis Bonifacii Episcopi Moguntini, qui pridem Abbas Fuldensis fuit, & pene totius Germaniæ Apostolus, constituti sunt per Noricum & Franconiam Episcopatus sex; non vi & gladio utentis, sed constituentis viros pietate & exemplo singularis sanctimoniam juxta cum salutari doctrina paulatim & placidè adducentes populum rudem ad agnitionem veritatis. Quoniam verò traditionum humanarum rituumq; multitudine obsita penè tota tunc temporis doctrina Christiana fuit: uti patere potest vel è solis illis Epistolis, quæ à Bonifacio ad Gregorium & Zachariam Romanos Episcopos, & vicissim ab his ad ipsum perscriptæ sunt, in veteri collectione Decretorum Synodaliū Pontificiorumque Anno 1530. Colonia ingressis; fieri aliter non potuit, quam ut similibus tenebris obfuscata Evangelii lucem, tunc etiam Suevi cognatæque gentes acciperent, quæ suo tamen tempore, plenius clariusque, pulsa barbarie superstitioneque, rursus eluxit. Neque verò etiam tunc non celebrandi quidam viri inter Suevos fuere, qui pietate vera, meliori que doctrina prælucere, uti fuit sine noni seculi S. Udalricus Episcopus Augustanus, de cujus & sanctitate, & veritatis

tatis lumine, testatur Epistola ab ipso scripta ad Pontificem Romanum.

XV. Neque porrò pœnitenda Suevis fuit hæc translatio gentis suæ sub Francorum imperium, propter ipsum dignitatis characterem, quem inde consecuta est. Neque enim pauciores ignobilioresve, quam ullæ aliæ Germaniæ nationes, Romano imperio Principes dedere Suevi. Postquam enim Ludovici Pii filii, diviso Francorum imperio, Ludovico secundogenito ex Fratribus transrhenanam Germaniam in portionem hæreditatis reliquissent, & Lotharii posteritate extincta, hujus pleræque ditiones, Ripuarii imprimis, sive bello, sive successionis iure, sive pactis ad Germaniæ regnum accessissent; tum Francia Orientalis ab Occidentali sic est avulsa, ut nunquam deinceps in unum regnum coalescerent: Siquidem ne stirpe quidem Carolina in Germania deficiente, cum adhuc in Gallia Carolus Simplex esset superstes, Germani illum Dominum recipere voverunt, sed primò ad Conradum Francum confugerunt, mox in Saxonum Ducem Henricum Aucupem, cujus stirps cum defecisset in Ottone Tertio, Henricum Sanctum ex Bavaris Imperatorem elegerunt; quem Conradus Salicus, ac tres alii Henrici ex Francis Orientalibus exceperunt, cum mox ad Suevorum gentem, Conradumque Suevum corona imperii delata est, quam quidem præripuit huic Lotharius Saxo, sic tamen, ut in dissidio quod S. Bernhardus Clarævallisensis iterum composuit, suum hunc successorem cogeretur agnoscere.

XVI. Sub horum Imperatorum Germanicorum Imperiis Suevorum gens suos habuit duces, plerisque sive Francorum, sive Saxonum, sive Bojoariorum gentis Ducibus arcta sanguinis necessitudine innexos, quos Martinus Crusius, in *Anal. Suev. L. III. p. 2.* hoc ordine recenset.

1. Burcardus, Anno Christi 916.
2. Hermannus I. Landgr. Franconiæ & Saxonix 927.
3. Luitholphus, Saxonix Dux, Othonis Cæs. F. 948.
4. Burcardus II. primi Burcardi filius. 957.
5. Otho I. Luitholphi ducis Alemanniæ fil. 973.
6. Conradus. 982.
7. Hermannus II. 997.

Q

8. Heg-

8. Hermannus III. præced. filius. 1004.
9. Ernestus Austrius. 1012.
10. Ernestus II. prioris fil. 1015.
11. Hermannus IV. frater præced.
12. Henricus Conradi II. frater. 1039.
13. Ocho II. de Witelspach. 1045.
14. Ocho III. Marchio Schwvinfurtensis. 1048.

Sequitur Comes Rheinfeldensis, anno 1057.

Postea Fridericus Suevus, Baro de Hohenstauffen, dictus antiquus. 1081.

Ex quo deinde Suevica Imperatoria familia, de qua coepimus dicere, orta est. Nec historiam hic volumus contexere. breviter tamen de singulis dicendum aliquid est. Et Conradus quidem, cum adhuc inter ipsum & Lotharium de Imperio disceptaretur, cedere, uti prædiximus, coactus est; Amulusenim ejus potentior erat, & amicos habebat Papam, Saxoniam, Misniam, Thuringiam, comparataque manu impetum fecit in Sueviam, multasque suæ potestati subjecit urbes, tandem, ut quidam annotavit; rucket der Keyser auch für das trutzig Stättlein Ulm / die von Ulm schlossen ihr Pfort / gaben die Antwort / die Statt gehört nicht den Saren / noch den Walschen / so auß des Papsts Zusatz und Hülff da waren / sondern dem Herzog in Schwaben / den sie für ein Römischen König hielten. Obsecit ergo Lotharius Ulmam, & primò suburbium incendit, deinde machinis muros concutiens, civitatem destruxit, & multis interfectis, plures ex civibus cepit, aliis fugatis. Verum defuncto post Lothario, & Conrado succedente, civitatem reædificari præcepit suam, & civibusque multa privilegia contulit. Mox Henricum Superbum nolentem reddere Imperatoria insignia, quæ penes se ex soceri hæreditate retinuerat, proscripsit, & ditionibus suis amplissimis, Saxonia Bavariaq; spoliavit, mox Henrici fratrem Welphonem, Bavariam occupare conantem, Winspergæ in Franconia obsessum, in potestatem redegit, ubi generositatis suæ nobile hoc edidit specimen, cum deditio fieret, his conditionibus, ut mulieribus concederetur liber discessus, & potestas ornamentorum suorum, quantum quæque posset portare, ex oppido efferendi; Welphonis uxore

uxore, cæterisque nobilibus foeminis suos maritos effertibus, non solum Imperator id ratum habuit, sed & mulieres propter hanc pietatem collaudatas, cum viris suis convivio excepit, & reliqua, quæ ad ipsas pertinebant, concessit, Welfonique Bavaricæ partem ultro reddidit. Secuta est expeditio in terram sanctam, quam suscepit suavis S. Bernhardi, belli socio & comite Ludovico VIII, Gallicæ Rege. Sed cum Bosphorum Thraciam superassent, fraudibus Græcorum, cum Turcis conspirantium vexati, sine operæ precio redire coacti sunt. In hoc etiam generositatem suam testatus est Conradus, quod cum Filium haberet, cui hæreditarium tunc Imperium potuisset transmittere, maluit id transferre in Fridericum nepotem ex fratre, filiumque suum huic in tutelam dare. Indolem enim ejus magnam rerumque summarum capacem agnoverat.

XVII. Sub hoc Friderico haud dubiè cum res Imperii Romano Germanici, tum etiam Suevicæ nationis florentissimæ fuerunt. Bella ab isto gesta plura fuere, quam quæ possint hoc loco commemorari omnia. Hoc tantum dicam, quod sub hoc Friderico Barbarossa Danorum, Polonorum, Hunnorum sive Reges, sive tunc adhuc Duces. Imperium nostrum non solum comiter observarint, sed & tributum Imperatoribus pependerit annum. Bohemiacæ vero Rex, cui primus Fridericus titulum Regium in perpetuum concessit, & Rex Burgundiæ sive Arelatensis provinciæ, pleno tunc jure Imperio subjecti, etiam in comitatu aulico ipsius fuerunt, cum catissa coronationis Romam esset profectus; Longobardi rebelles vi ad obsequium coacti; Italia reliqua & ipsa Roma, Pontifice in Galliam profugo, hunc Cæsarem venerata est; Gibellinis ab ipso denominatis, summo etiam amore prosequentibus, etsi Welfi contra terrore armorum essent coërcendi. Hic Græciæ, hic Turcarum, hic Saracenorum terror fuit: atque ut cognoscatur quales tantus Imperator habuerit milites, audiatur *Nicetas Choniates*, qui de expeditione ejus loquens, quam suscepit in Orientem, l. 2. de Isaci Angeli Imperio hæc habet: *In hac expeditione ferunt Alemannum quendam corpore ingenti, & robore invictum præditum, populares suos longo intervallo secutum, pedetentim in-*

C 2 cessisse,

cessisse, equum trahentem exitinere fatigatum, Ismaelitas verò circiter 50.
 viros fortissimos, suis stationibus evagatos, illum undique sagittis petiisse.
 Caterum eum lato scuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem per-
 vexisse, nihilo magis barbarorum telis commotum, quam si rupes esset,
 Unum autem ceteris jaçantiorum, abjecto inutili arcu, longum ensen strin-
 xisse, & concitato equo cominus illum ut promontorium aut æream colu-
 mnam gladio percussisse. Alemannum verò gladio, qui heroicam dextram
 deceret, ambos anteriores pedes hostilis equi tanquam scenum amputasse,
 qui cum in genua prolapsus nihilominus sessorem in sella sustineret, ensen
 in medium Persæ caput ita impegisse, ut equite in duas partes dissecto, etiam
 jumenti tergum sella quoque dissecta vulneraret. Eoque spectaculo Persas
 attonitos non amplius esse ausos, unum eum laceessere, qui nihil accelerato iti-
 nere pedetentim vesperi in castra suorum pervenerit. Ne verò quis
 ad unum aliquem Heroem pertinere hoc putet, paulo ante p.
 m. 166. de multis adeoque de toto exercitu sic loquitur. Ut ad
 Philadelphiam accessit, neque per urbem transit, ejus incolæ simulata ami-
 citia, in regis discessu, in inimicitias erumpentes; partem exercitus per læ-
 trocinium sunt adorti: ut verò res parum successit, sed ferreas statuas, aut
 gigantes sibi oppugnare videbantur, terga dederunt. Tales tunc Ale-
 manni fuerunt. Ipsius Friderici elogium à Choniata illi da-
 tum, etsi alioqui Germanis minus æquo, maximè insigne, quia
 prolixius est, hic non repeto. Notum alioqui est, quod illa
 ipsa expeditione in Cydno Ciliciæ fluvio Fridericus sive suf-
 focatus undis, sive sagittis hostium an Guelphorum insidiis
 occisus perierit, Tyrumque Palæstinæ urbem deductus, ibi-
 dem sepultus sit. Successor ejus filius Henricus VI. qui Rogerii
 Siculi filia uxore ducta, utriusque Siciliæ regnum in dotem
 accepit, Suevorum nomen etiam per Græciam celebre fecit,
 quippe tributum dare coactam, quod, eodem Niceta teste, Ale-
 mannicum à Græcis vocatum est. Sub ipso potentia Suevo-
 rum maxima fuit, quippe quæ à Balthico mari ad Lilybæi pro-
 montorium, à Mosa Rhodanoque, ad Vistulam usque se exten-
 debat. Elogium ejus apud Brunnerum l. 13, tale est. *Maximi
 animi Princeps, & Germania imperium, si vita longior obtigisset, in eodem
 gloria fastigio repositurus, quo Caroli M. immortalis virtute ascenderat.
 Jam Orientem quoque sui nominis fama compleverat; quicquid terrarum
 Epidamnum & Thessalonicam interest, ab Alexio Commeno ausus reposcere*
& si

& si pacem vellet, eidem imperare tributum, Alemannicum ab indigna-
 bunda Græcia dictum, ad cuius summam conficiendam neque regum tumultibus
 Alexius pepercit. Summum Reipublicæ studium Nicetas Choniates
 in eo commemorat, cui dies totos ita impenderit, vix ut spatium cu-
 randi corporis sibi relinqueret, raroque prandentem quisquam vide-
 ret: Quas tam sobrias ejus curas cum interpolare amici cona-
 rentur importunos invitatores plane regia sententia refutavit, ho-
 mini privato nullum esse intempestivum convivium, diætitans; Regibus, si
 suo satisfacere nomini velint, satis esse debere, si eos resp. à se ad cœnam di-
 mittat. Expeditionem in orientem, non suo quidem ductu fe-
 cit; classem tamen 60000. exercitum continentem in Palæ-
 stinam misit. Filiolum ex Constantia susceptum Fridericum
 Imperatorem designavit, consentientibus Germaniæ Princi-
 pibus: qui verò cum mortuo patre infans adhuc esset, tuto-
 rio nomine Patruus Philippus Suevus interim imperavit, & ex
 pacto Otto Brunsvicensis à Welfhis contra Philippum excita-
 tus. postquam verò Otto in Pontificis odium incurrisset, Fri-
 dericus demum II. Imperium sibi debitum adeptus est, Ma-
 ximus, & Victoriosus Imperator, qui Hierosolymam, Christia-
 nis à Soldano Ægyptio paulo ante rursus ereptam, suscepta
 in Orientem expeditione, reddere coëgit. Adversus An-
 ticæsares, quos Pontifices Romani & Guelphi suscitaverant,
 stetit invictus, quos partim per se ipsum, partim per filium Con-
 radum cedere imperio coëgit, tam charus omni Germanorum
 populo, & in Italia Gibellinis, ut mortuus cum fuisset, credere
 nemo vellet, sed compariturum iterum sperarent, & restitutu-
 rum omnia in melius, cum tunc res in Imperio propter bella
 hæc civilia, valde turbatæ essent. Unde proverbium natum
 est, Er wartet auff den alten Keyser/ Er macht Schulden auff den
 alten Keyser/ quo usi sunt illi, qui vanam hanc simplicis popelli
 spem irriserunt. Nam etsi Filius ejus Conradus IV. Imperator,
 non minus vir fortis atq; Pater Fridericus fuit, tamen in Ger-
 mania ei venire non vacavit, quod satageret expediendis Regni
 Neapol. negociis, quod cum ex hæreditate paterna sibi debere-
 tur, à Manfredò fratre, & Pontifice diripiebatur, & ipse brevi,
 non sine suspitione veneni dati mortuus esset. Hujus Filiû Con-
 radinum Carolus Andegavensis, cum exercitu Germanorum

repetentem avitas ditiones, victum captumque gladio carnificis Neapoli interemit, inaudito tunc temporis inter Christianos exemplo; atque sic stirpem non Regum duntaxat Neapolitanorum, sed & Sueviæ Ducum atq; Imperatorum extinxit. Quorum temporibus Germanicum Imperium amplissimum pariter atque potentissimum extitit.

XVIII. Incidit hic Suevicæ nationis status in tempus Interregni, quo totos octodecim annos Germania Rege atque Imperatore uno caruit: donec Rudolphus Habsburgensis electus Imperator Sueviam, ut Imperii feudum, alteri filio suo Frederico concessit, sicut Alberto Austriam, (eodem tempore destitutam principem, quippe cui eadem calamitas, quæ Conradino accidit) dedit in feudum. Nunc verò cum Marchiones Badenses, tum Duces Wirtembergenses, utrique ex antiqua stirpe Ducum Zaringiæ orti, ut & Domus Austriaca cum Episcopis, & nonnullis comitibus Suevicum circulum hodie constituunt. Urbes tamen liberæ, quarum magnus numerus est, quippe qui cæterarum omnium numerum aut æquat, aut superat, concessa libertate & privilegiis ab ipsis Suevici sanguinis Imperatoribus utentes, multum quoque roboris opumque in publicum conferunt, quibus libera & immediata nobilitas merito accensetur. Uti verò olim Sparta & Athenæ duo Græciæ oculi fuere, sic de Augusta Vindelicorum, atque Ulma, dulcissima patria mea, inter Suevorum urbes idem iudicium ferri posse nemo diffitebitur.

XIX. De moribus & cultu gentis hodierno, ut pauca adjiciam prædictis, hac ipsa etiam parte non pœnitenda fuit Suevis ea, de qua supra dictum fuit, reipublicæ mutatio, qua sub Francorum imperium redacti, pari deinde cum ipsis Francis libertate, in unum Germanici imperii corpus coaluere. Hoc enim factum est, ut bonæ literæ, præsertim post pulsam barbariem, ad ipsos satis cito pervenerint, imo citius quam ad plerasque alias Germaniæ aut etiam Galliæ regiones, cum ipsos restauratores bonarum literarum Suevia generet, quos inter Capnio & Melancton non vilia nomina sunt. Quot hætenus Viros in omni genere studiorum illustres Suevia protulerit, enumerare superfedeo, veritus ne si quos omitterem, his injuriam

riam

riam facisse viderer. Neque verò sibi tantum illos retinuit, sed ex abundantia sua aliis quoque regionibus concessit. Laudat illustre Argentoratum, studiorum alioqui & mater & Alumna celeberrima, Marbachium, Pappum, Wegelinum, Dannhavverum, quos Lindavia, Augusta Vindelicorum, Kindringa Brifgoiæ sibi generavit Theologos insignes: laudat eadem curiæ suæ quondam lumina Bechtium, Imlinum, Ottonem, Jctos, quos Hailbonna partim, partim Ulma sibi submiserit. Taceo alias regiones & urbes, minus mihi cognitæ (nam & quæ de Argentoratensibus dixi, ex Argentoratensibus patronis nisi didicissem, ignorare mihi licuisset) quæ sua decora Suevorum genti debuerunt. De iis verò qui in ipsa Suevia aut vixerunt olim, vel nunc vivunt, viris doctissimis consulto taceo. Porro cæterarum artium, ad vitæ humanæ usum & commoditatem pertinentium, nulla est, quam Suevi non excolant, Pannificio imprimis & linteorum conficiendorum arte magnas etiam opes comparantes, quæ videl. multis region. subministrare Suevia solet.

XX. Non facerem satis instituto meo, nisi tandem etiam quosdam exprobrari solitos genti nostræ morum ingeniorumque nævos diluerem. Nolo quidem quibus vulgus gentis nostræ ægrotavit & hucusq; ægrotat labes, (quæ enim gens est, in qua non aliqui ex imprudentibus, quorum ubiq; plures sunt quam prudentium, familiaribus quibusdam vitiis laborant) vel excusare vel negare: antamen illa quæ falsò aliqui objiciunt toti genti, amoliri à nobis, inque ipsos retorquere fas sit. Primum locum obtinet ebrietas, de qua Tacitus l. c. *Suevos, inquit, diem, noctemque continuare potando, & quod pessimum, inter vinolentos oriri rixas, quæ rano conviciis, sæpius caede transigantur.* Hoc vitium ebrietatis & hodierno die Germanis, & in specie quoque Suevis ab exteris malo vertitur, quippe illorum carmina nemini ignota sunt, Duotantum adjungam disticha, quæ in contemptum Germanorum cecinit Ovvenus, qui ipse tamen sæpius Londini in diversoriis, quam domi visus est, quod probatæ fidei quidam vir de illo restatur.

Mors, inquit Seneca, est non esse, Polynice: contra

Germanus mortem non bibere esse putat.

Et rursus ad verba Plinii in vino veritas.

Si

*Si latet in vino verum, ut proverbium dicunt,
Invenit verum Teuto, vel inveniet.*

Et Antonius Campanus Italus contra Germ. ebrietatem.

*Germani possunt cunctos tolerare labores,
O utinam possent tam bene ferre sitim.*

Verum enimvero ad hæc carmina vel potius scommata jam dudum ab eruditis est responsum, neminemque illud contra Italos distichon fugere existimo :

*Ut nos seva sitis, sic vos Venus improba vexat.
Lex Veneri posita est Julia, nulla mero.*

Interea exteri veteres evolvent historias, & videbunt, à quibus hæc verba *græcari* & *pergræcari*, *Saußen und inder wohl leben* orta sint.

XXI. Munsterus in sua Cosmographia, & Felix Faber in Hist. Suev. l. 1. c. 10. Veneri deditos Suevos exclamant: F. Fabri enim verba ita se habent, *Femineum genus apud Suevos delicatum & formosum, adeo multiplicatur, ut pene in omnibus regionibus evagentur mulieres ex Suevia servientes hominibus in cura domestica, & maxime in cultu veneris.* Ad verba Fabri verò respondendum, concedendo nimirum Suevicarum mulierum copiam, nec minus & hoc quod passim aliis serviant in cura domestica: quod verò servitus veneria admodum illis communis sit experientiæ contrariatur, & à particulari ad universale concludere inconsequens est. potius laudi illis tribuitur, quod sint laboriosæ, & in educatione liberorum severæ, virisque fideles. vid. Crus. in Annal. p. 1.

*Suevas fuisse amabiles viris & applicabiles,
Prolem educasse sedulas, curasse pensa strenuas.*

Porro Lazius in migratione gentium, l. 8. Suevos arrogantes, & gloriabundos fuisse & hodie esse dicit, adducens exemplum à superba oratione Ariovisti ad Cæsarem: à singulari v. hoc exemplo totum populū arrogantē pronunciare, inconsequens est, quamquam si verum fateri volumus æquissima fuit Ariov. responsio, etsi superbæ præsumptioni Romanorum ac Cæsaris minus esset accommodata, quippe qui sibi solis licere, quod aliis non liceat, cum contemptu cæterarum gentium, quos Barbaros vocabant, superbissimè iniquissimeque postulaverunt. Sed manum de tabula. Deus Opt. Max. Sueviam, & in ea dulcissimam Patriam meam Inclytam Ulmam, cum omni posteritate florentem clementissimè conservet!

nc

107

Q.K.
402
1'

DISS
OR

INC
VETVST

In In

DN. JO

Eloc
SOLA

GVSTA

Die

Argentor. Ty

RICA
US

TIS
VEVICÆ

sum

HORO

rio,

mini

lmensis,

11.

MANNI.

II n
4437

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
GERHARD
MANNI

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

